



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod scientia Dei de temporalibus est & æternis. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

esset Deus præsciens: quia varia est ibi causa dicendi, distinguere oportet rationem dicti. Cū ergo dicis: Si nulla esset futura, non esset in Deo præscientia vel non esset præsciens: si in dicendo hanc causam attendis scilicet quia nulla esset subiecta eius præscientiæ, unde ipsa possit dici præscientia vel ipse præsciens, quod utrumque dicitur propter futura: verus est intellectus. Sin autem ea ratione id dicis, quod non sit in eo scientia, qua præscit futura, vel quod ipse non sit Deus qui est futurorum præsciens, falsa est intelligentia. Similiter & illæ locutiones determinandæ sunt: Potuit non esse præscientia Dei, vel potuit non esse præsciens, & potuit Deus non præscire aliqua, id est, potuit esse quod nulla futura subiecta esset eius scientiæ, & ita non posset dici præsciens vel præscire, vel scientia eius vel præscientia: non tamen eo minus ipse esset, vel eius scientia. Sed non posset dici præsciens vel præscire vel præscientia, si eius scientiæ futura nulla forent subiecta. Similiter de dispositione & prædestinatione & providentia. Hæc non (ut dictum est) ad temporalia referuntur, & de temporalibus tantum sunt.

*Quod scientia Dei non tantum est de temporalibus,
sed etiam de æternis.*

D

SCIENTIA verò vel sapientia non tantum de temporalibus, sed etiam de æternis est. Ideoque, et si nulla fuissent futura, esset tamen in Deo scientia eademque modo est: nec minor esset quam modo, nec maior est quam esset. Sciuit ergo Deus ab æterno æternum, & omne quod futurum erat, & sciuit immutabiliter. Scit quoque non minus præterita & futura quam præsentia, & sua æterna sapientia & immutabili scit ipse omnia, quæ sciuntur. Omnis enim ratio supernæ & æternæ sapientiæ, ut ait Ambr. in eo est, quia omnem sapientiam & essentiam capit sua immensa scientia.

*Amb. 84. 3.
lib. 5. de fide
de ad princ.*

O

Qua-